



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gaudendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

Sarasa, Alfonsus Antonius de

Antverpiae, 1667

Conscientiae certae, actionem aliquam imperanti, semper parendum esse;
permittentem vero, licitum esse sequi, siue ex vero iudicio Conscientia
processerit, siue ex errore inculpato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11367

PRIMUM OFFICIUM CONSCIENTIÆ

Dirigere actiones faciendas aut fugiendas.

TRACTATUS III.

DE CONSCIENTIA CERTA,
ETIAMSI SIT ERRONEA.

Omne quod ex fide non est, peccatum est. *ad Rom. 14. v. 23.*

Conscientiæ certa actionem aliquam imperanti, semper parendum esse: permittentem verò licitum esse sequi, siue ex vero iudicio Conscientiæ egerit, siue ex errore inculpato.

P R O O E M I V M.



T omnia, quæ tam varia sunt, Conscientiæ officia exponantur accuratiùs, atque ordine minimè perturbato; istud repetendum est, Conscientiæ munus esse, primò quidem de actione quæ præ manibus est ferre iudicium, licitane sit an illicita: deinde verò, cùm peracta fuerit, statuere an quod factum est, factum sit benè an verò perperam. Primum explicare nunc aggredior, & verò etiam præcipuum, atque adeo difficillimum Conscientiæ officium. Facile est enim de re actâ benè decernere, si quid agendum fuerit, liquidò constet. Itaque vt tota deinceps ordine suo fluat oratio, istud ostendendum est primò, quantum

quantum à Deo Conscientiæ in voluntate dirigendâ concessum sit jus & imperium. Quod quidem tantum esse demonstrabitur, vt ei certò rem aliquam imperanti, semper sit obsequendum: sin verò permittat vt licitam, quamuis reipsâ sit illicita, (si modò bonâ fide agitur) ei etiam credatur inculpate: & vt erret Conscientia, voluntatem tamen, sine crimine, malè ducentem sequi. Verùm eùm hæc omnia à iudicio Conscientiæ certo & indubitato, bonâque iudicantis fide dependeant, istud ante omnia exponendum est, quod demum sit iudicium certum & indubitatum, & quæ bona censenda sit fides; ne, dum benè rem volumus exponere, malè fortassis intelligamur.

§. I.

Varia diuisiones Conscientiæ. Quid sit Conscientia certa, quid opinans aut probabilis, quid dubia, quid scrupulosa.

- I. **I**llud itaque constitutum eùm jam sit, Conscientiam esse iudicium actu & reipsâ decernens, quid hîc & nunc agendum sit aut fugiendum; & res peracta si sit, an actum ratione bonâ & benè, an verò peruersè: istud, vt tota Conscientiæ materia rectè percipiatur, sedulò attendendum est, iudicium quod mens fert, varium posse esse & multiplex; vnde etiam varia Conscientiæ obtingunt nomina, prout varia est iudicii natura aut conditio. Potest enim iudicium illud esse certum, ratum & firmum: illudque est eiusmodi, vt mens sibi constet, iudicii sui sinceritati prorsus adhæreat, neque de sententiæ latæ bonitate vllo modo dubitet; sic vt ne minimâ quidem aut fallaciæ aut falsitatis suspicionem tangatur, sui prorsus secura & sententiæ. Atque hæc dicitur *Conscientia certa*. Sic quî pridie Paschatis, prouectâ nocte, horæ duodecimæ signum audiit, singulosque campanæ ictus sedulò numeravit; atque exinde sic secum statuit, & horam Paschatis inchoatam, & se ieiunii legibus absolutum, neque quidquam de malè numeratis horis dubitat: is & iudicium planè certum, & certam proinde Conscientiam habere censendus est. Neque verò hîc quidquam refert, malè fortasse, vti fit sæpissimè, horarum computum fuisse inicum, & non nisi vndecimam à campanâ

Ex iurum varietate, oritur Conscientiarum differentia.

Quid sit Conscientia certa.

G

fuisse